

*Affirmative et omnia in pristinum statum restituantur.*

REV. FABRICÆ S. PETRI.

(1. Fenestram apertam, uti jam olim fuit, servandi facultas denegatur fratribus de Vincis, quorum Palatium cohæret immediate Collegiatæ et Parochiali Ecclesiæ S. Michaelis Archangeli Civitatis Firmi, quorumque Familia plurima in ipsam Ecclesiam beneficia contulerat, atque in ea tertiæ partis Canonicatum patronatu gaudebat. Nec iisdem prodest offerre Ecclesiæ, et Capitulo cessionem Capellanæ, una cum jure patronatus eorum Familiæ, et cum Capellanæ fundo annui redditus scutorum viginti et octo, cum onere nonnullarum annuarum Misarum. Firmiana Servit. die 8 Junii 1782.

(2. Fenestræ apertio ad vitam tantum Oratoris, et ejus matris cum solitis clausulis indulgetur, dum a Josepho Telesphoro Cattanio Fundatore Ecclesiæ S. Annæ in oppido

FESTA, FESTIVITATES.

S. CONGREGATIONIS RITUM DECRETA.

(1. Porrecto SSmo Dno Nostro Benedicto XIV. nomine Rmi Episcopi Calaguritanii supplici libello, illoque ad S. R. C. a Sanctitate Sua remisso pro resolutione sequentium Dubiorum, quæ sunt:

An Civitas Calaguritana rigore, prout ante Indultum, servare teneatur Festum SSrum Hemeterii et Celedonii fratrum Martyrum; et Civitas Calceaten. servare eodem modo teneatur Festum S. Dominici; vel utraque Civitas utrumque Festum servare teneatur?

An Oppida, quæ non habent peculiarem Patronum servare teneantur Festum Patronorum principalium Ecclesiæ Calaguritanæ cui subsunt, seu potius Festa Patronorum utriusque Ecclesiæ, nempe Calaguritanæ, et Calceaten.?

An Oppida, quæ habent peculiarem Patronum servare teneantur Festum illius dumtaxat, sive potius, omisso Festo sui peculiaris Patroni, servare teneantur Festum Patronorum Ecclesiæ Calaguritanæ, cui subsunt, vel Ecclesiæ Calceaten. huic principaliter unitæ vel potius Festa Patronorum utriusque, servato etiam Festo proprii Patroni?

An Civitates Calaguritana, et Calceatensis servare teneantur, ultra Festum Patroni proprii, festum Patroni principalis Provinciæ, in qua sitæ sunt, et an Oppida particularia Diocesis Calaguritanæ sive habeant, sive non habeant Patronum proprium, servare teneantur Festum Patroni proprii Provinciæ, in qua ea respective existunt, nempe S. Prudentii Episcopi, et Confessoris Patroni Provinciæ Alavæ, et S. Ignatii de Loyola Patroni Provinciæ Guipuscoæ, et Viscaïæ, etc?

S. C. auditus prius R. P. D. Benedicto Veterani Fidei promotore, qui scripto, et voce suam sententiam exposuit, ad relationem Emi, et Rmi Dni Card. Ferroni Ponentis, re-

le Preci, filio postulatur in dextero istius Ecclesiæ, latere januam aperiendi facultas, qua sibi viduæ Matri, et aliis familiaribus, hiberno præsertim tempore, pateret aditus ad audiendum Missæ sacrificium, et ad aliis ecclesiasticis Functionibus interveniendum. Familia hæc habet patronatum Ecclesiæ, et fundator multa tum pro illius mantentione, tum pro institutione Capellanæ cum onere Missarum in ea celebrandarum bona assignavit: Spoletana die 24 Julii 1784.

(3. Marchio Laurentius Centurionius nobilis Januensis, et inde Bononiensis indultum a Pont. Max. Clem. XIV. obtinuerat audiendi Sacrum ex odeis Palatio suo adhærentibus. Hoc defuncto palatium jure venditionis transit in Carolum Linerium civem non nobilem Bononiensem, qui supplicavit pro perpetua concessione privilegii, quo Marchio Centurionius fruebatur, et non impetravit. Bononien. die 15 Januar. 1785.

FESTA, FESTIVITATES.

spondit. Ad 1. *Affirmative* ad primam partem, *Negative* ad secundam.

Ad 2. *Negative* ad utramque partem.

Ad 3. *Teneri servare Festum Patroni particularis loci dumtaxat.*

Ad 4. *Negative* ad utramque partem. Et ita declaravit. Die 26 Martii 1757.

(2. Exortis controversiis inter Patres Minores Conventuales Oppidi Tophiæ Nullius Farsen. ex ura et Archipresbyterum, et Canonicos Ecclesiæ Collegiatæ ejusdem Oppidi ex altera partibus, super celebratione Festi solemnis, cum præcedentibus Novemdiabibus supplicationibus Conceptionis B. M. V. Immaculatæ, iisque delatis ad S. R. C., proposita fuerunt infrascripta Dubia inter partes concordata coram Emo, et Rmo Cardinali Marco Antonio Columna Ponente, nempe.

An liceat celebrare Festum solemnem cum præcedentibus novemdiabibus supplicationibus Immaculatæ Conceptionis B. M. V. in Ecclesia Collegiata Terræ Tophiæ die 8 Decembris, quibus celebrantur in Ecclesia S. Alexandri Patrum Minorum Conventualium ejusdem loci?

An constet de attentatis, et quomodo sint purganda?

Sac. eadem Congr. utraque parte scripto, et voce informante audita, visisque juribus hinc inde deductis, ad relationem ejusdem Emi, et Rmi Domini Cardinalis Ponentis, censuit rescribendum.

Ad 1. *Quoad Festum solemnem Negative quoad Ecclesiam Collegiatam; quoad preces novemdiales juxta mentem; nempe, pro concordia arbitrio Emi Ponentis, qui eodem arbitrio utendo declaravit: Preces novemdiales præmittendas Festivitati Conceptionis B. M. V. Immaculatæ peragi licere in Ecclesia Collegiata per Archipresbyterum, et Canonicos de mane, sive horis matutinis; in Ecclesia vero S. Alexandri esse celebrandas per Patres Minores Conventuales de sero, sive horis vespertinis.*

Ad 2. *Juxta mentem declarandam ab Emo Ponente, qui declaravit: jam panditam mentem S. C. Procuratori Capituli, et provisum. Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 8 Augusti 1763.*

(3. Et quatenus affirmative ad primam partem, quæritur ulterius: An, si Festum Patrocini extra tempus paschale transferri contingat, deficientes Antiphonæ Nocturnorum suppleri debeant de communi, vel potius, omissis assignatis pro tempore Paschali, debeant omnes assumi ex alio Festo 19 Martii?

Cum ex Apostolica concessione in omnibus Dominiis Hispaniarum Regi subjectis celebretur ritu dupl. maj. Festum Patrocini B. M. V. in aliqua Dominica Novembris ab Ordinario loci designanda, quæ in Diocesi Barcinonensi, aliisque est Dominica secunda ejusdem mensis, si in eadem Dominica occurrat dies octava S. Severi Episcopi, et Martyris Patroni principalis; quæritur: Utrum recitandum sit Officium Patrocini B. M. V. cum commemoratione Octavæ, an potius Officium de Octava, translato, vel omisso pro anno illo Officio Patrocini?

Ad 4. *Negative* ad primam partem, *Affirmative* ad secundam.

Ad 5. *Negative* ad primam partem, ad secundam *Affirmative; Officium vero Patrocini non omittendum, sed transferendum in primam diem non impeditam, juxta Rubricas. Barcinonen. Die 11 Septem. 1790.*

(4. Quoniam præfatum Breve Apostolicum Festivitates Patronorum cujusque loci in Dominicis dies proxime sequentes cum officio, et Missa transferri, necnon et præceptum intelligi demandat; si igitur S. Joannes Baptista sit principalior cujusdam Ecclesiæ Patronus, et aliquo anno Festum SS. Petri, et Pauli incidat in diem Sabbati, vel Dominicam: quæritur I. « Utrum is S. Patronus in diem Dominicam proxime antecedentem transferri debeat, prout S. Laurentius Martyr in eodem Brevis specificatur? II. Utrum in ea antecedenti Dominica debeat in perpetuum suam habere Festivitatem: an vero, si Festum SS. Petri et Pauli incidat in feriam secundam, aut ultra, debeat transferri in Dominicam proxime sequentem?

« Utrum Festivitas S. Laurentii Mart. principalis pro loco Patroni (cui Breve Apostolicum, ob Festum Assumptionis B. M. V. in sequentem Dominicam celebrandum, jam statuit Dominicam diem 10. Augusti proxime antecedentem) in perpetuum hac Dominica celebrari debeat; an vero etiam transferri in Dominicam sequentem, si prædictum Festum Assumptionis in altera Dominica post diem 15 vel 16 Augusti celebretur?

« Si Festivitas Exaltationis S. Crucis occurrat in Dominica, sitque titulus Ecclesiæ, et celebretur in ea solemniter hoc anno Festum Nativitatis B. M. V. cadens in FERIA II, juxta prædictum Breve Apostolicum in Dominicam proxime sequentem transferendum: Utrum, etiam non obstante hoc Brevis,

a Parocho loci in Dominica proxime antecedenti celebrari possit, et debeat.

« Si Festum S. Adalberti Episcopi et Martyris cadat in Dominicam in Albis, aut etiam ante, sitque patronus Ecclesiæ: Utrum usque in Dominicam secundam post pascha, in qua cadit Festum S. Sepulcri secundæ classis, transferri, ibidemque, translato Festo S. Sepulcri in aliam diem non impeditam, celebrari debeat?

« Ratione Festivitatis SS. Simonis et Judæ Apostolorum, ubi sunt Patroni Ecclesiæ, si occurrat eadem hebdomada, in qua celebratur Festum omnium Sanctorum, proxime sequi transferri possit?

« Translata Festivitate Sanctorum Simonis et Judæ Apostolorum, pro loco Patronorum in diem Dominicam proxime sequentem, ut in anno currenti 1790, in quo occurrit Festum omnium Sanctorum FERIA secunda, datur quoque concursus Vigiliæ SS. Simonis et Judæ in Sabbatum translata cum Vigilia omnium Sanctorum in eodem sabbato occurrente, quæritur I. de quam Vigilia Officium recitari? II. Occurrente Festo 9 lectionum, de qua Vigilia 9 lectio et commemoratio haberi debeat? III. Sequentibus diebus infra Octavas concurrentibus: An Parochus loci Officium de Octava SS. Simonis et Judæ, tamquam Patronorum Ecclesiæ suæ cum commemoratione Octavæ omnium Sanctorum, an potius de octava omnium Sanctorum cum commemoratione SS. Simonis et Judæ recitare teneatur?

« Si Patronus cujusdam loci occurrat ante Dominicam 1. class. ex. gr. S. Catharinæ V. et M. ante Dominicam 1. Adventus, aut etiam inter Dominicas primæ, vel secundæ classis uti S. Josephi inter Dominicam 4. Quadragesimæ, et Passionis, An uterque in Dominica proxime antecedenti celebrari debeat?

« Si Patronus loci occurrat ante Dominicam in qua Festum 1. class. ad populum non celebre habet suam fixam sedem (prout S. Hyacinthi, S. Joachim) quæritur I. utrum translato Festo 1. class. non celebri, S. Patronus in eadem Dominica proxime subsequenti celebrari debeat? II. an idem Festum 1. class. non celebre in subsequenti altera Dominica transferri possit, an etiam in diem non impeditam potius transferri debeat?

« Utrum prædictum Breve Apostolicum statuens decerni Festivitatem unius tantum principalis Patroni in loco, ubi duos patronos haberi contigerit; sit intelligendum loqui etiam de altero Patrono Titulari? An Titularem pariter a Festivitate excludat? An etiam excludat Festum Titulare, ex. gr. S. Crucis a sua Ecclesia Titulum, seu Denominationem habens?

« An prædictum Breve Apostolicum sit etiam intelligendum de translatione Festorum Confraternitatibus adnexorum, videlicet utrum ea Festa pariter in dies Dominicis cum Officio, et Missa transferri; an vero, manentibus Festis in die cadenti, sola celebritas Confraternitatis in die Dominico proxime sequenti celebrari debeat?

« An ob cadentiam principalis Patroni Ec-

clesiæ filialis in Dominica, Festum patroni Ecclesiæ Parochialis, juxta dictum Breve, pariter in eadem Dominica celebrandam occurrens (uti S. Jacobi Apostoli majoris in Ecclesia parochiali, et S. Annæ in Ecclesia filiali patronorum et vicissim), Utrum in Dominica proxime antecedenti celebrari possit, et debeat? II. Utrum Vicarii tam provisori, quam manuales circa Ecclesiam parochialem residentes quoad celebritatem patronorum Ecclesiæ filialis Dominicis diebus in Officio, et Missa, eidem Ecclesiæ filiali sese conformare teneantur?

« Cum sæpe dictum Breve Apostolicum Festivitates Sanctorum patronorum cujusque loci in Dominicis cum Officio, et Missa transferri præcipiat, in iisque fixam eorum sedem assignet; quæritur: Utrum intelligi debeat de translatione eorum etiam cum Indulgentiis ante aliquot solum annos a Sede Apostolica ad decennium pro die cadenti obtentis: an vero nova Indulgentiarum indulta procuranda sint? »

Ad 1. Si S. Joannes Baptista sit Patronus principalis Civitatis, Oppidi, Pagi, ad me infrascriptum Secretarium cum SSmo, juxta mentem: si vero sit tantum Patronus alicujus particularis Ecclesiæ, providebitur in responsione ad Dubium 11.

Ad 2. Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam.

Ad 3. Ad me infrascriptum Secretarium cum SSmo, juxta mentem.

Ad 4. Affirmative, dummodo S. Adalbertus sit Patronus principalis loci; si vero sit tantum Patronus principalis Ecclesiæ, providebitur in responsione ad Dubium 11.

Ad 5. Ad me infrascriptum Secretarium cum SSmo, juxta mentem.

Ad 6. Pendet a resolutione Dubii præcedentis.

Ad 7. Negative, juxta votum Magistri ceremoniarum.

Ad 8. Quoad primum quæsitum Affirmative, quoad secundum quæsitum Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam.

Ad 9. Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam, et tertiam, juxta votum Magistri ceremoniarum.

Ad 10. Negative in omnibus.

Ad 11. Perperam hoc Dubium proponi, cum in prædictis litteris Apostolicis relinquatur dumtaxat Festum Patroni principalis Civitatis, Oppidi vel pagi, non vero Patronorum particularium Ecclesiarum, qui proprie Titulares vocantur, necnon eorum Festa sunt in Dominicis transferenda.

Ad 12. Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam.

Relatis a me infrascripto Secretario, juxta mentem S. Rituum Congregationis SSmo D. N. Pio PP. VI. Dubiis 1. 3. et 5. Sanctitas Sua benigne respondit.

Ad 1. Si Festum Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli occurrat vel in Sabbato, vel in Dominica vel in Feria II. post Festum S. Joannis Baptistæ, eo casu tantum in iis locis, ubi S. Joannes Baptista est Principalis Patronus Civitatis, Oppidi, vel pagi ejus Festum

transferendum esse cum Officio, et Missa, ad Dominicam præcedentem cum Vigilia in Sabbato, etiam præcedenti.

Ad 3. Festum Nativitatis B. M. V. transferendum esse ad Dominicam præcedentem.

Ad 5. Si Festum omnium Sanctorum occurrat vel in Sabbato, vel in Dominica, vel in Feria secunda post Festum Sanctorum Apostolorum Simonis, et Judæ, eo tantum casu in iis locis, in quibus iidem Sancti Apostoli sunt Patroni principales Civitatis, Oppidi, vel pagi, eorum Festum transferendum esse cum Officio, et Missa ad Dominicam præcedentem cum Vigilia in Sabbato, etiam præcedenti. Gnesnen. Die 11 Septembris 1790.

(5. Cum in Ditione Regis Borussiae a SSmo D. N. Pio VI. Pont. Max. Apostol. Litteris in forma Brevis incipien. *Potentissimus*, Festorum numerus imminutus sit, et aliqua Festa in proximos dies Dominicos cum Officio, Missa, et præcepto translata sint, in interpretatione earumdem Litterarum Apostolicarum infrascripta Dubia exorta sunt, quæ a Capitulo, et Canonicis Ecclesiæ Collegiatae SS. Jacobi et Nicolai Civitatis Nissæ in Silesia Diocesis Wratislaviensis. ad S. R. C. decidenda delata sunt, nempe:

In nostra Collegiata Ecclesia celebratur Festum S. Agnetis V. et M. cum Octava sub ritu duplici primæ Classis quotannis, proinde dubitatur 1. An, quando Festum SSmi Nominis Jesu ob Dominicam Septuagesimæ ad 28. Januarii transferendum est, transferri possit una cum Com. Orationis octavæ diei S. Agnetis, vel transferendum sit ad 3. Februarii? — Quod si ad primum negative, et ad secundum affirmative, quæritur — 2. An Festum S. Blasii Episcopi, et Martyris, quod in Calendario Diocesano celebratur sub ritu semiduplici, transferendum sit in aliam diem Festo 9. Lectionum non impeditam.

Quum ex Indulto Apostolico Dominica 3. post Pascha celebretur in hac Ecclesia Collegiata Festum Sanctorum Martyrum Aurelii, Macarii, Jucundæ, et Claræ, ob eorum sacras Reliquias hic conditas sub ritu duplici secundæ classis solemniter; et si in eadem Dominica occurrat in Calendario Diocesano celebrari Festum Patrocinii S. Josephi Sponsi B. M. V. sub. rit. dup. min., exoritur dubium; An Officium de patrocinio S. Josephi, ob conformitatem cum Diocesi Romana, transferri perpetuo possit in Dominicam quartam proxime sequentem post Pascha, vel plane quotannis a nobis omitti debeat, aut in aliam diem stabilem transferri, et in quam, cum sit respective Festum mobile sicut Dominica Resurrectionis? Dubitatur 2. quando Festum Sanctorum Martyrum Aurelii, Macarii, Jucundæ, et Claræ incidit in diem 25 Aprilis, 3. 6. vel 8. Maii tamquam Festa altioris gradus, et dignitatis an transferri, vel omitti debeat, cum tantum, sicut Officium de patrocinio S. Josephi, ex Indulto Apostolico, et non ex mandato celebretur?

Die 10. Maii celebratur Festum translationis S. Nicolai Episcopi, et Confessoris Compatroni Ecclesiæ nostræ, et principalio-

ris Capiuli sub rit. dup. maj. et in Calendario Diocesano eodem occurrit Festum S. Antonini Episcopi, et Confessoris, quod huc usque nullam stabilem diem assignatam habuit supplicatur proinde profigenda stabili die in 14. Maii, tamquam non impedita ab alio Festo 9. Lectionum, cum hæc sit proximior impeditis jam aliis diebus proximioribus?

Propter Octavam diem S. Jacobi majoris, utpote Patroni primarii nostræ Ecclesiæ, huc usque Festum S. Petri ad Vincula perpetuo translatum fuit in diem 2. Augusti, tamquam diem stabilem. Ast cum per Bullam Pontificiam Festa Patronorum Ecclesiarum de præcepto translata sunt in Dominicam proxime sequentem una cum Octava per Diocesim Ditionis Regis Borussiae, Dubium exortum est: An festum S. Petri ad Vincula, cum non sit amplius dies 1. Augusti impedita, reponendum sit ad ordinem Calendarii Romani vel possit apud Ecclesiam nostram manere translatum in diem 2. Augusti?

Denique Officium S. Anacleti P. et M. celebratur stabiliter in Diocesi nostra 2. Augusti, cum vero huc usque apud nostram Collegiatam Festum S. Petri ad Vincula celebratur, diem fixam non accepit, sed quotannis transferebatur: dies 9. Augusti autem non est impedita Festo 9. Lectionum, proinde quæritur: An dictum Officium perpetuo et stabiliter in diem 9. Augusti transferri possit pro nostra Collegiata tantum? Quod si Festum S. Petri ad Vincula deberet in posterum iterum in 1. Augusti reponi, deberit tunc Officium S. Anacleti 2. Augusti stabiliter celebrari pro conformitate Calendarii Diocesani?

Ex mandato SSmi dato Romæ 29. Aprilis 1788, et publicato 9. Augusti 1789, celebrari debet in statibus Regi Borussiae subjectis quarta Feria post Dominicam 3. post Pascha cum obligatione audiendi Missam, et abstinendi ab operibus servilibus; hac Feria occurrit hoc anno Festum simplex S. Vitalis, dubitatur, An possit transferri Officium 9. Lectionum, quod alia die celebrari impeditum fuit, et an vetentur propter Festum fori Missæ privatæ votivæ, et de Requiem privatæ, etiam præsentem corpore?

S. eadem Rituum Congregatio, exquisita sententia unius ex Apostolicarum ceremoniarum Magistris, referente Emo, et Rmo D. Card. Archinto Præfecto, respondit: *Detur votum Magistri ceremoniarum, juxta mentem, nempe:*

« Ad 1. Quoad primum quæsitum Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam, et patet responsio ad secundum quæsitum. »

« Ad 2. Festum Sanctorum Martyrum Aurelii et Sociorum esse celebrandum in Dominica 3. post pascha et pro Festo Patrocinii S. Josephi esse assignandam perpetuo Dominicam 4. post Pascha, et quoties hæc sit impedita, transferendum esse Festum Patrocinii ad primam diem non impeditam, juxta Rubricas. »

« Ad 3. Affirmative juxta petita. »

« Ad 4. Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam, si tamen S. Jacobus sit Patronus principalis Civitatis, Oppidi, vel pagi, de quo tantum patrono transferendum est Festum in Dominicam, juxta Breve Apostolicum; si vero sit Patronus, vel Titularis Ecclesiæ Collegiatae tantum, servandas esse Rubricas. »

« Ad 5. Festum S. Anacleti reponendum esse in die 2. Augusti, si Festum S. Petri ad Vincula celebretur in die 1. juxta responsionem ad Dubium 4. »

« Ad 6. Affirmative in utrumque. » Wratislaviensis. Die 11. Septembris 1790.

(6. An, quoties aliquis Sanctus Confessor ritu duplici transfertur a die sui obitus propter concurrentiam Dominicarum Adventus, et Quadragesimæ, et dies proxime sequens non sit impedimento, debeat in ea reponi ante alia Festa æqualis ritus, et dignitatis, prius translata, ut in hoc casu Sanctus Confessor habeat integras Vesperas in suo proprio die, et non varietur versus Hymni: *Iste confessor*: dicendo: *Meruit beatas*: tam in primis Vesperis, quam in Matutino, et secundis Vesperis sequentis diei, juxta Decretum S. R. C. 13. Junii 1682 (2838)?

An præter hunc casum generaliter Festa translata habeant præcedentiam jure vicinitatis ad repositionem in die proxime immediata impedita, ita ut in ea de ipsis fieri debeat Officium, etiamsi adsint alia ejusdem ritus, et dignitatis prius translata, vel reponenda sint juxta ordinem translationis, scilicet primo de primo translato, et sic successive?

Festum SSmæ Trinitatis in concurrentia non cedit alicui Festo Sanctorum, cujuscumque sit ritus, attamen celebratur sub rit. dupl. secundæ classis tantum, ideoque, occurrente in Hispania, ut non raro evenit cum Festo S. Ferdinandi, et aliorum Sanctorum, qui sunt primæ classis, his tribuantur Vesperæ integræ cum commemoratione SSmæ Trinitatis. Sed cum hæc Festivitas major omnibus extet sua incomparabili dignitate, nullumque Sanctorum Festum cum illa possit æquiparari, et aliunde suamet natura omnem solemnitatem exposcere videatur: quæritur an eodem modo, quo prædicta Festivitas excludit omnia Festa etiam primæ classis in ea concurrentia, ita quando cum ipsis concurrat, debeat habere secundas Vesperas, licet Festum sequens sit primæ classis? Et quatenus negative; supplicatur pro gratia saltem quoad Diocesim Santanderien. ex privilegio elevationis ritus, seu quomodocumque placeat EE. VV. ad confovendam devotionem erga præcipuum Christianæ Religionis Mysterium?

In Hispania ex concessione S. R. C. celebrantur plura SSrum Festa particularia cum Octavis, ut S. Idelphonsi Archiepiscopi Toletani, S. Juliani Episcopi Conchensis, S. Ferdinandi Hispaniarum Regis, S. Elisabeth Viduæ, S. Isidori Agricola, etc. Sed cum, multitudine aliorum Officiorum, quæ tam ad universalem Ecclesiam, quam ad præfata Regna omnino extenduntur, jam dies liberi pro omnibus in anni decursa deficiant, et

ideo opus sit, talia Festa magna ex parte singulis annis penitus suppressere, vel ad leges Festorum simplicium ea redigere: quæritur ergo: « An moderari possint prædictæ Octavæ minus principales in posterum omitti, ut exinde omnium Officiorum consularum recitationi, sicut nuper fecit Ordo Minorum S. Francisci quoad majorem partem suarum Octavarum particularium, accedente auctoritate, et approbatione S. R. C.?

« In nominatis Regnis adsunt insuper ex concessione aliqua Sanctorum secundaria Festa, nempe conversionis S. Augustini die 5 Maii, Transverberationis S. Theresiæ 27 Augusti, commemorationis S. Juliani Episcopi 5 Septembris, et alia similia, quæ ritu duplici celebrantur, præter ipsorum Sanctorum Festivitates principales: quæritur igitur: An pariter ista secundaria Festa possint comprehendere in enunciata moderatione, recedendo a dictionum Officiorum recitatione, quamquam acceptata, ut Officiis primariis in anno locus non desit, sicut pariter pro secundariis suis Festivitatibus ad praxim adduxit Ordo S. Francisci in sui Breviarii novissima reformatione?

« An stante hujusmodi suppressione debeat fieri commemoratio de Festis secundariis sic suppressis in illis diebus, in quibus nunc celebrantur tamquam de simplicibus cum nona Lectione ad matutinum, et commemoratione in Officio, et Missa, vel potius omnia sint omittenda, tamquam si talia officia nullo tempore fuissent admissa, et acceptata? »

Sac. eadem Congregatio, exquisita sententia unius ex apostolicarum cæremoniarum Magistris referente Emo, et Rmo Domino Cardinali Archinto Præfecto, respondit. Ad 1. *Officium S. Joannis Baptistæ reponendum esse in prima die post Octavam SSmi Corporis Christi dummodo non sit impedita festo æqualis ritus.*

Ad 8, 9 et 10. *Servandas esse Rubricas.*

Ad 11, 12 et 13. *Sac. Rit. Congregatio facultatem tribuit Rmo Episcopo reformandi Calendarium, juxta petita pro suo arbitrio, et prudentia, ita tamen ut de Festis secundariis, quæ supprimuntur, fiat commemoratio in utrisque Vesperis, Laudibus, et Missa cum nona Lectione ad Matutinum, et quoad omnia servantur Rubricæ. Santanderien. Die 26 Januarii 1793.*

(7. Exorta controversia inter confratres Societatis nuncupatæ del consorzio erectæ in Ecclesia Collegiata Terræ Massæ Fiscariæ, et Parochos ejusdem Ecclesiæ, de jure Capellani ejusdem Societatis deferendi stolam in Ecclesiasticis functionibus, in quibus cum eadem Societate tamquam Capellanus incedit; eaque ad Sac. Rit. Congregationem delata.

Sac. eadem Congregatio, auditis rationibus utriusque partis, et relatione Vicarii Capitularis, referente Emo, et Rmo Cardinali Borgia, declaravit: *Licere Capellano Societatis de Consortio deferre stolam in omnibus functionibus solitis, et ad ipsam Societatem spectantibus, etiam in transitu per*

*Ecclesiam; quo vero ad associationem cada-verum, teneri ipsum Capellanum incedere cum Societate, adhibita stola extra Ecclesiam tantum. Cervien. Die 23 Augusti 1794.*

(8. An expediat assignare aliam diem Festo Dedicationis Ecclesiæ SSrum Vincentii, et Anastasii, ad Aquas Salvias, ut celebrari possit cum Octava, cum in præsens ex antiqua consuetudine agatur in Feria V, post Dominicam Passionis? Et quatenus affirmative, supplicatur pro assignatione diei.

Ad 6. *Affirmative assignata imposterum die 6 Mensis Septembris, vel 21 Octobris Festo Dedicationis Ecclesiæ SSrum Vincentii et Anastasii ad Aquas Salvias. Romana Die 10 Septembris 1796.*

(9. Perillustris, et Rme Domine uti Frater — Cum SSmus Dominus Noster Pius VI. Pontifex Maximus per Decretum S. R. C., latum die 13 Novembris anni 1775, ad pias preces recol. mem. Caroli III. Hispaniarum Regis Catholici benigne indulserit, ut ab utroque Clero in Regnis et Dominiis eidem Regi Catholico subjectis recitari posset in singulis diebus Octavæ Solemnitatis SSmi Corporis Christi Officium cum Missa de eadem Octava, exceptis tamen Festivitatibus Nativitatis S. Joannis Baptistæ, et SSrum Apostolorum Petri, et Pauli, quoties in eadem Octavam incidissent, et per suas Literas Apostolicas in forma Brevis datas Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 5 Martii 1776, idem Decretum confirmaverit. Pervenit subinde ad aures Sanctitatis Sæ in exemplis earumdem Literarum per Hispanias evulgatis in iis verbis. — *Duabus Festivitatibus præfatis tantum exceptis* — loco particulæ tantum, suffectam fuisse particulam minime ante verbum *exceptis*, contra ac legitur in autographo earumdem Literarum, quod est in Archivio Secretariæ Brevium, et in exemplo, quod etiam Romæ asservatur apud Regium Hispaniarum negotiorum Gestorem. Et quoniam ex hujusmodi verbi variatione factum est, ut eadem Festivitates nequaquam censerentur amplius exceptæ, Episcopus Santanderien. cum de pluribus liturgicis quæstionibus S. R. C. consulisset, illud etiam declarari petiit in quam die post Octavam SSmi Corporis Christi collocandum esset Officium Festivitatis S. Joannis Baptistæ, si in aliquo ejusdem Octavæ die occurreret; cumque eidem S. C. exemplum æque vitiatum Literarum Apostolicarum exhibitum fuisset, eadem Sac. Congregatio in respondendo decepta est. Placuit itaque Sanctitati Sæ, audito hac super re R. P. D. Hieronymo Napolionio Promotore Fidei, mandare, ut significaretur Ecclesiis Dominiorum Regis Hispaniarum error, qui irrepsit in exempla earumdem Literarum: ideoque declararetur Festivitates S. Joannis Baptistæ, et SSrum Apostolorum Petri, et Pauli in omni Ditione Regis Catholici non esse transferendas, quoties incidant in Octavam SSmi Corporis Christi, et Decretum antedictæ S. R. C. sive Resolutionem 1. Dubii in Santanderien. Resolutionis Dubiorum emissam die 26 Jan. 1793. locum amplius

non habere. Quapropter Amplitudo Tuæ curet, ut hæc SSmi. Domini declaratio omnibus Ecclesiis comprehensis in Ditione Serenissimi Hispaniarum Regis Catholici innotescat, et Amplitudini Tuæ diuturnam exopto felicitatem.

Amplitudinis Tuæ — Hispaniarum Romæ 16 Decembris 1796. Pirgien. Archiepiscopo Nuntio Apostolico apud Regem Catholicum.

(10. « An attendi debeat, ut fit in Calendario Brixiensi, etiam in Diocesi in Octava Dedicationis Ecclesiæ Decretum S. R. C. 27 Martii 1778. sic expositum: Festum Dedicationis Ecclesiæ est festum Domini: unde in paritate ritus debet habere integras utrasque Vesperas: quamvis aliter legatur in Calendario Romæ hujus anni diebus 15 et 18 Novembris?

« An, occurrente Festo Dedicationis in Festis B. M. V., Sanctorum Angelorum, Joannis Baptistæ, Joseph Sponsi ejusdem B. M. V. ac Sanctorum Apostolorum, quæ Festa sub ritu dupl. primæ classis sint celebrata, debeat in his casibus fieri Officium de Dedicatione, etsi occurreret Festum Assumptionis B. M. V.?

Ad 9 et 10. *Negative, prout decisum fuit sub die 13 Martii 1804. in una Ordinis Clericorum Minorum Villæ Matritensis (4342. ad 3. 4.), et servetur ordo Tabellæ excerptæ ex Rubricis generalibus Breviario Romano præmissæ. Brixien. Die 20 Septembris 1806.*

(11. Dub. 2. In iisdem Civitate et Diocesi, Festum Patronorum prædictorum ex immemorabili etiam consuetudine est tamquam præceptivum quoad obligationem audiendi Sacrum, non autem vacandi ab operibus servilibus. At cum ex Decreto S. hujus Congr. diei 13 Septembris 1642. (scilicet Constitutionis S. M. Urbani PP. VIII, relat. supra num. 1264.) utrumque de præcepto declaretur in Festo Patroni principalis, et proprii; quæritur: « An ad utrumque in posterum obligandus sit Populus Civitatis, et eorum etiam locorum proprium Patronum non habentium, vel potius in præfata consuetudine continuandum? »

Dub. 3. In ipsis Civitate, et Diocesi Festa SSrum Joseph, Annæ, et Silvestri nec sunt, nec hactenus fuerunt de præcepto. At cum iidem in numero Sanctorum Festivitationem in Populo habere debentium per Bullam S. M. Urbani VIII. quæ incipit *Universa*, nec non per S. R. C. Decreta describantur; quæritur: « An in posterum præfata Festa de præcepto servanda sint, vel antiquæ, et immemorabili consuetudini sit insistendum? »

Ad 2. *Negative.*

Ad 3. *Citra Approbationem assertæ consuetudinis, consulendum SSmo. pro dispensatione. Corduben. Die 12 Novembris 1806.*

(12. Aliquæ Sodalitates Patronum habent S. Thomam, S. Luciam, ac S. Josephum Sponsum B. M. V. Quæritur: « An quando prædicta Festa occurrunt in Dominicis privilegiatis Adventus, et Quadragesimæ, attempto concursu sodalium, aliorumque devotorum, possit cantari Missa de Patrono? Et quatenus affirmative, an dicenda sit in Missa

commemoratio Dominicæ, et Octavæ occurrentis cum ultimo Evangelio in fine Missæ? »

Ad 8. *In publicis Oratoriis cantari potest Missa de Titulari occurrente in Dominicis Adventus, et Quadragesimæ privilegiatis, non autem in illis exceptis, et in Missa dicenda est commemoratio Dominicæ, et diei Octavæ tantum occurrentis, cum Evangelio ejusdem Dominicæ in fine. Et ita declaravit, et servari mandavit. Compostellana Die 8 Aprilis 1808.*

(13. Cum nonnulli ex Parochis intra fines Ducatus, et Diocesis Camerinen. unum dumtaxat Principem Patronum in unoquoque loco sub utroque præcepto venerandum, colendumque contenderent, scilicet S. Venantium Camerinensem, posthabitis peculiariibus ejusque loci Patronis Principalibus, in quorum festis sese exemptos assererent ab onere applicationis pro Populo, prout per plures annos egerant. Institutum propterea fuit in Congregatione Ordinaria Sac. Rit. pro declaratione: « An festum utriusque Principis Patroni Status scilicet Camerinen. et uniuscujusque loci, celebrandum foret sub utroque præcepto? Et num Parochi omnes in præfatis Festis tenerentur applicationi Missæ pro Populo? Ac tandem quid agendum pro hujusmodi applicationibus omissis? » ut in supplici libello, sequentis tenoris.

« Emi, e Rmi. Signori. Lo stato di Camerino che forma Provincia separata affatto dall' Umbria, e dal Piceno, venera come Protettore principale S. Venanzio Martire, e ne celebra la Festa con rito doppio di 1. classe, coll'Ottava, e ne osserva la Festa di precepto.

« Quasi tutti i singoli Paesi contenuti dentro i limiti di esso Stato, hanno i rispettivi particolari Protettori principali canonicamente eletti, confermati dalla Sagra Congregazione de'Riti, e assegnati ai medesimi sempre dal Calendario Diocesano di Camerino col rito conveniente a tali Santi di doppio di 1. classe coll'Ottava, e con tal rito se ne celebra effettivamente in ogni luogo la Festa.

« Costa apertamente dalla Costituzione della S. M. di Urbano VIII. che comincia *Universa* § 2. non che da moltissimi celebri Autori, segnatamente dai Salmaticesi, Ferraris, Merati, etc. che tanto l'una, che l'altra Festa di tali Protettori, del Protettore cioè di Provincia, e del Protettore del Luogo contenuto nella stessa Provincia, siano di precepto, coll'obbligo di ascoltare la Messa, e di astenersi dalle opere servili.

« Alcuni Parrochi, ciò non ostante, sono fissi nel sostenere, che la Festa del Protettore del Luogo particolare non è di precepto, perchè si osserva di precepto la Festa del Protettore della Provincia, e si dispensano dall'applicare *Pro populo* e permettono le opere servili.

« Per togliere tali disordini, e quelli, che da essi derivano, si supplica per la formale dichiarazione, che l'una, e l'altra Festa dello Stato, e Ducato di Camerino è *preceptiva*, e che sono tenuti a rimettere, o ad ottenere l'assoluzione per le Messe *Pro Populo* da essi tralasciate. Che etc. »